DECIMA
CLERI SECULARIS IN IUDICIO
SACRÆ CONGREGATIONIS
Eminentrum. Concilij Tridentini Interpretum

CONTRA EXEMPTIONES
Patrum Soc: Romæ Vindicata.

Tandem in Regno Poloniæ

PER
IOANNEM MARKIEWICZ I.V.D.
Canonicum Posnaniensem, S. Iacobi Præpositum,
Et S. R. M. Secretarium.

ANTEA DEFENSA,
Nunc ad effectum Executionis debitæ Accommodata.

CRACOVIÆ,
M. DC. XLVII.

Imprimatur.

Iacobvs Vstiensis
S. Theologiæ & I. V. Doctor,
In Diœcesi Cracouiensi
Librorum Censor.

DECIMA VINDICATA.

EXemptio Regularis, aliàs diuersimodè in 1.
Iure contemplari solita, iam nunc Patrum Societ: ad eam deuenerat existimationem, vt Bullis Summorum Pontificum priuilegiata, & pluribus S. Rotæ Romanæ Decisionibus canonisata, extra controuersiam remaneret, & ampliùs de Priuilegijs eorundem disputare, vanus labor, & inutilis opera iudicaretur. Probanda tamen erat fortuna, & post infelices aliquot conflictus, non desperandum de victoria; quin imò tentandum erat extremum certamen, cùm nobis Iura, & Sacri Canones validum præberent succursum, & Sorbona Parisiensis, in sua nostri laboris Censura, Iustitiæ & æquitatis fidem interponeret. Nostris itaq; Deo adiuuante rationibus, & 2.
ad Instantiam totius Cleri, per suum Oratorem Romæ effectum est, vt causa Decimarum, *iam damno nostro per Rotam decisa*, iterum discutienda, S. Congregationi Eminentiss. Concilij Tridentini Interpretum, à S.D.N. Innocentio Papa X. committeretur. Quo successu & felicitate negotium peractum sit, & Sententia S. Congregationis, & Approbatio Sedis Apostolicæ, ad nostrum fauorem declarat, eo quo sequitur tenore.

BREVE

De soluendis Decimis per Regulares.

INNOCENTIVS PP. X.

Ad futuram rei memoriam.

3. NVper pro parte Venerabilium Fratrum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, nec non dilectorum Filiorum totius Cleri Regni Poloniæ, per dilectum etiam Filium Matthæum Ioannem Iudicki Archidiaconum Pomeraniæ nuncupatum in Ecclesia Vladislauiensi, eiusdem Cleri in Curia Romana Agentem, quòd aliàs, & sub die decima septima Iunij, Anni proximè præteriti M. DC.XXXXV. in Causa Decimarum eiusdem Regni à Venerabilibus etiam Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Sacri Concilij Tridentini Interpretibus, emanauit Decretum, quod nos subinde sub die xxxi. mensis Iulij, eiusdem Anni, in Consistorio nostro secreto approbauimus, te-

4. noris qui sequitur, videlicet. *In Causa Decimarum Regni Poloniæ die 17. Iunij, 1645. Sacra Congregatio Eminentiss. Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, iterum atque iterum, auditis Regularibus, & præcipuè Patribus Soc: Iesu, eorumque Iuribus & Priuilegijs maturè discussis, censuit, ab eisdem Patribus, & alijs Regularibus soluen-*

das esse Parochis, & alijs Beneficiatis Regni Poloniæ De- p. 5.
cimas, quæ soluebantur à Laicis, priusquam Bona in ipso-
rum Patrum, & aliorũ Regulariũ, proprietatem fuerunt
translata; firmis tamen remanẽtibus Transactionibus desu-
per factis. Quod Decretum emanauit præuia ex-
hibitione facta ab ipsis Patribus, cui etiam De- 5.
creto postea consenserunt, prouti & Agens Cleri
Regni Poloniæ. Die verò 31. Iulij, 1645. Sanctis-
simus Dominus Noster, Eminentissimo Cardi-
nali Præfecto referente, in Consistorio appro-
bauit. Cùm autem sicut eadem expositio sub-
iungebat, exponentes præfati Decretum præin- 6.
sertum, quo firmiùs subsistat, & exactiùs obser-
uetur, Apostolicæ nostræ Confirmationis patro-
cinio communiri summoperè desiderent. Id-
circò nos eosdem exponentes specialibus fauori- 7.
bus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singu-
lares personas à quibusuis Excommunicationis,
suspensionis, & Interdicti, alijsq; Ecclesiasticis
sententijs, Censuris, & pœnis, à Iure vel à Homi-
ne quauis occasione, vel causâ latis, si quibus
quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum
præsentium duntaxat consequendum, harum
serie absoluentes, & absolutas fore censentes,
Supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter 8.

 porrectis

p. 6. *porrectis inclinati, Decretum præinsertum Apostolicâ Authoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illiq; inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, & omnes ac singulos tam Iuris quàm Facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus, saluâ tamen semper Auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium, decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces, existere, & fore, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, & ab omnibus & singulis quos illæ*
9. *concernunt, inuiolabiliter & inconcussè obseruari, sicq; per quoscunq; Iudices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, iudicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, quauis Authoritate, scienter vel ignoranter con-*
10. *tigerit attentari.* Quocirca Dilecto Filio Nostro, & Sedis Apostolicæ in eodem Regno pro tempore commoranti Nuncio, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcunq;, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte exponentium præfatorum, seu alicuius eorum desuper requisiti fuerint, solenniter publicatis, *eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat Authoritate Nostra, illos præmissorum omnium commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere.* Non permittentes illos desuper à quoquã quauis Authoritate quomodolibet molestari.

Contradi-

Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmissis non pa- p.7.
rentes, per Censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaq́ oppor- 11.
tuna Iuris & Facti remedia, Appellatione postposita, com-
pescendo, legitimisq́ super his habendis seruatis Processibus,
sententias, Censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus
aggrauando. Inuocato etiam ad hoc, si fuerit opus, auxilio
Brachij sæcularis. Non obstantibus quatenus opus 12.
sit felicis recor: Bonifacij Papæ VIII. Prædecessoris nostri de vna, & in Concilio Generali edita de duabus Dietis, dūmodo vltra tres Dietas aliquis Authoritate præsentium in Iudiciū non trahatur, alijsq́; Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec nō ipsius Societatis, aliorumq́; Regularium Ordinum, etiā Iuramento Confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoq́; & Indultis, & literis Apostolicis, ipsi Societati, alijsq́; Regularibus Ordinibus seu Institutis præfatis, illorumq́; Domibus etiam Professis, Collegijs, Monasterijs, & alijs locis Regularibus, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam Derogatoriarum Derogatorijs, alijsq́; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusq́;, & alijs Decretis in Genere, vel in Specie in contrarium præmissorum quomodolibet cō-

cessis,

p. 8. cessis, confirmatis, & innouatis. *Quibus omnibus*
13. *& singulis, etiamsi de illorum eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas Generales, idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc seruanda foret; illorum omniũ & singulorum tenores præsentibus, pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus: cæterisq; contrarijs quibuscunq;.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 21. Februarij, 1646. Pontificatus nostri Anno 2.

M. A. Maraldus.

Discursus de istius Breuis Executione.

14. *Leges Sacratissimæ intelligi ab omnibus debent, vt vniuersi præscripto earum manifestiùs intellecto, prohibita declinent, & faciant præcepta.* L. Leges Sacratissimæ. *C. De Legib⁹.* Quot notat Suarez *lib. 1. c. 11. n. 3. De Legib⁹.*

15. Quod superius Breue Pontificium, cùm habeat vim legis inter illos, inter quos concessum est. *Decius in cap: Et quoniam. de Rescriptis. n. 4. &* 6. Iam hoc Romæ iustificatum, & in Polonia publicatum, exequendum est: cum illius executionẽ, Exceptiones etiã requirentes altiorem indaginem, non impediant. *iuxta Rotam in Feretrana Vnionis.* 20. *Nouembr.* 1636. *coram Buccabella.*

16. *Et ne temeritas peruadentium legem sibi posse putet generari, si sceleri suo pertinaciam Retentionis adiungat:* Ideo

Ideo Pontifex quæ decreuit impleri cupit, & formam quæ ſit ſequenda præſcribit. *c. Licet.* 16. *q.* 3. *p.9.*

Dubitatio I.

CVm Breue ſupraſcriptum habeat vim Legis, Legis natura eſt, vt reſpiciat futurum, & non præteritum, & ita Cauſa Parochi Loci Golambie, cùm ſit de præteritis, vigore ipſius euinci non poteſt. *iuxta L.* 7. *C. De Legibus.* 17.

Reſponſio.

PLeriq; partem aliquam Legis, cùm pro Regula dicerint, quid Lex ampliùs dicat, quomodo ſeipſam diſtinguat, aut quid excipiat, non animaduertunt: Ideò totam Legem de hoc futuro tractantem, hic exprimendam duxi, quæ eſt talis. *Leges & Conſtitutiones futuris certum eſt dare formam negotijs, non ad facta præterita reuocari: niſi nominatim & de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotijs cautum ſit.* lib. 1. C. De Legibus. Et ita videmus primam partem legis dare formam futuris negotijs; ſecundam verò etiã ad præterita reuocari, *ſi Negotia pendentia ſint.* Cuius generis Causã Plebani Loci Golambie, & omnes alias eſſe, nemo dubitat. 18.

Prioris Legis, *gl. v. Cautum ſit.* oſtendit nobis aliã Legem præterita reſpicientem, quam hic ponendam duxi, quia ſeruit ad noſtram materiam, cuius verba hæc ſunt. *Priuilegia quæ Generalibus Conſtitutionibus vniuerſis Sacroſanctis Eccleſiis Orthodoxæ Religionis retro Principes præſtiterunt, firma & illibata in perpetuum decernimus cuſtodiri. Omnes ſanè pragmaticas ſanctiones,* 19.

 quæ

p.10. *quæ contra Canones Ecclesiasticos, interuentu gratiæ, vel Ambitionis elicitæ sunt, robore suo & firmitate vacuatas, cessare præcipimus.* L. Priuilegia. C. De Sacrosan: Eccl.

20. Concordat in hac materia Legibus Imperatorijs Ius Canonicum, cùm dicit: *Leges & Constitutiones trahuntur ad futura tantùm, & non ad præterita, nisi sint Iuris Naturalis, quia tunc respiciunt etiam præterita; vel nisi in ipsa Lege vel Constitutione nominatim caueatur, quod trahatur ad præterita.* cap: fin: & ibid: gl: fin: De Constitut. Quod ita in supradicto Breui cautum esse nemo dubitat, qui legit à Patribus Soc: soluendas esse Decimas Parochis, & alijs Beneficiatis, quæ soluebantur à Laicis, priusquàm Bona in ipsorum proprietatem sunt translata: firmis remanentibus transactionibus
21. desuper factis, &c. Quæ omnia verba, cum indicent præteritorum respectum, non est attendendum ad futura, nisi priùs præterita recuperemus; quis enim futuras Decimas speraret, nisi præteritas posset exigere? Et hoc vel maximè procedit in materijs in Iudicium deductis, quæ semper sunt de præteritis. *L. Non potest. ff. De Iudicijs.* vbi gl. *v. Non potest.* ad præterita respicit, & non ad futura. Imò Rescriptum ad Lites, qui vellet extendere ad futura Negotia, carere deberet commodo Rescripti, & in expensis esset condemnandus. *Daoyz. Ind. Iur. Eccl. v. Rescriptum. allegans cap. fin. & ibid. gl.* 1. *& gl. Ad futuras. De Rescriptis.*

22. Et in nostro casu, Decretum irritans appositum in Breui, talis est efficaciæ, vt per illud inficiatur omnis Actus contrarius. *Rota Decis.* 618. *n.* 24. *in nouiss: apud Rubeum.*

Rubeum. Nam Decretum irritans, quod est appositum in dicto Breui, habet oculos retro, & operatur nullitatẽ vsq; ab ipso initio, habens pro infectis omnes Actus præteritos. *Rota Decis.666. n.2. & 3. apud Farin.* allegans super hoc pũcto multas Doctorũ Authoritates. *p.11.*

Atq; ita ex his rationibus nostrum Breue loquitur non de futuris Contingentibus, sed de præteritis Casibus.

Dubitatio II.

EX quo Rota iam aliquoties hanc Causam ad fauorem Patrum Soc: iudicauit, & in Decreto seu literis Executorialibus S.R.Maiestati, & alijs Principibus, seu Magistratibus sæcularibus directis, declarauit Patrum Soc: de non soluendis Decimis Priuilegia esse extra omnem controuersiam, simulq; inhibuit, sub pœnis & Censuris Ecclesiasticis grauissimis, contra omnes & singulos fulminatis, quicunq; Decreto Rotali in eadem Causa contrauenire, aut eidem auxilio, consilio, aut fauore patrocinari auderent, &c. proindè apud nos hæc eadem Causa ob metum pœnarum ampliùs resuscitari, & iudicari non potest. Vt latè habetur in ijsdem literis Executorialibus: *sub Data Romæ apud S.Petrum, die Lunæ 9. Men. Decemb.* 1641. 23.

Responsio.

S. Rotæ Romanæ summam Authoritatem veneror, & iuremerito, cùm in illo Sacro & primo Tribunali & Vrbis, & Orbis, omni tempore resederint omnium Gentium Christiani Orbis selectiores Iurisconsulti. *Vt* 24.

p.12. *testatur Illustriss. D. Vrbis Senator in Decis. Romana Societatis officij. 1638. ad finem.* Quin imò molestè fero, & ijs, quorum interest, vitio verto, quod etiam Polonia in hoc Tribunali locum antea possessum recuperare non cogitet, quod quàm nobis sit necessarium, & honorificum, insinuaui in mea Decima Defensa. *n.* 226.

25. Sed saluâ eius Authoritate, in nostro Casu Patrum Soc: cum Plebano Loci Golambie, Dico ita se habere Decretum Rotæ, prout se habet Iudicis Inferioris sententia nulla, à qua est appellatum ad Superiorem.

26. De Appellatione constat. *Primò*, per viam Protestationis publicæ, de nullitate & inualiditate istius sententiæ, vt habetur in Libello meo typis impresso, cui Titulus, *Decima Cleri Sæcularis in Regno Poloniæ defensa.* Vbi vide per totam & signanter sub *n.* 224.

27. *Secundò*, constat de Appellatione, per viam supplicationis SSmo. vniuersi Poloniarū, & M. D. Lithuaniæ Cleri, cum eo effectu, vt Causa Decimarum cum Patribus Soc: ad eorum malam informationem iam per Rotam decisa, iterum discutienda S. Congregationi Eminentiss. Concilij Tridentini Interpretum fuerit commissa. Quæ S. Congregatio, vt in Breui continetur, *Iterum atq; iterum auditis Regularibus, & præcipuè Patribus Soc: eorumq; Iuribus & Priuilegijs maturè discussis, censuit ab eisdem Patribus, & alijs Regularibus, soluendas esse Decimas, &c.*

28. Non obstat, quod in prædicto Breui non habeatur mentio Decisionum Rotæ in ista Causa. Quia licet non nomine, Re ipsâ tamen prænominatæ Decisiones

reuocatæ

reuocatæ ſunt, & annullatæ: *Quod ita probatur.* Rota *p.13.*
cùm iudicaret noſtras Decimas, vnâ tantùm parte informante, dixit Domus, & Collegia Soc: Ieſu, in vim Indultorum Apoſtolicorum eſſe Exempta, & immunia, à quacunq; Decimarum ſolutione; idq; pluries in illo S. Tribunali fuiſſe diſcuſſum, & canoniſatū. Et in ſpecie in alia Cracouieñ. corā Cardinali Seraphino, quod vide expreſſum in mea Decima defenſa. *n.*137.*&n.*138.

E contra S. Congregatio Eminentiſſ. Cardinalium, 29.
Concilij Tridentini Interpretum, Iterum atq; iterum auditis Regularibus, & præcipuè Patribus Soc: Ieſu, eorumq; Iuribus & Priuilegijs maturè diſcuſsis, cenſuit ab eiſdem Patribus, & alijs Regularibus, ſoluendas eſſe Parochis, & alijs Beneficiatis Regni Poloniæ Decimas, quæ ſoluebantur à Laicis, priuſquam Bona in ipſorum proprietatem fuerunt translata. *Die* 17. *Iunij*, 1645.

Item 4. Iulij de Anno 1640. R. P. D. Cerrus ita dixit. Sub die 21. Maij proximè præteriti; Rota coram 30.
me cenſuit, Concordiam non ſuffragari Plebano Loci Golambie, ſuper Iure Decimandi Bona Collegij SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Soc: Ieſu Cracouieñ. Quia ex deductis in Deciſione, Exemptio Collegiorum Soc: Ieſu; remanet extra controuerſiam, & apparet Tranſactionem ſuper Decimis per Rectorem tunc temporis factam, eſſe reſcindendam, nec viribus ſubſiſtere: Ex defectu Beneplaciti Apoſtolici, Iuſtæ Cauſæ, Facultatis Rectoris ſuper ijs, nec minus ſuper Iuribus ad Collegium ſpectantibus tranſigendi. Non obſtante quod 31.
interuenerit conſenſus ac licentia P. Prouincialis, cùm

 iſta

p.14. ista facultas resideat in scrinio pectoris Reuerendiss: Generalis supremi & absoluti Moderatoris totius Religionis, vt latè fuit comprobatum in Decisione. Et ita vnâ tantum parte Informante,&c. *Quod legitur supra in mea Decima Defensa. n.149. vsq; ad finem.*

32. E contra S.Congregatio Eminentiss: Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, Iterum atq; iterum auditis Regularibus,& præcipuè Patribus Soc: Iesu,eorumq; Iuribus & Priuilegijs maturè discussis,ab ijsdem soluendas esse Decimas &c. firmis remanentibus Transactionibus desuper factis, iudicauit.

33. Atq; ita manifestè ad oculum videmus,Rotæ Decisiones in Causa nostra Decimarum cum Patribus Soc: esse reuocatas,& annullatas. Cùm enim S.Congregatio dixit,se ita censuisse, Iterum atq; iterum auditis Patribus Soc: Iesu,eorumq; Iuribus & Priuilegijs maturè discussis, &c. Nemini in dubium venire potest, quin Patres Soc: Iura & Rationes Decisionum Rotæ,pro vltimo præsidio allegauerint; quibus tamen non obstantibus, S. Congregatio censuit esse soluendas Decimas, & Transactiones obseruandas.

34. Et ita ne inter Decreta Rotæ,& hoc Decretum S. Congregationis,aliqua oriretur controuersia,dum Patres allegarent pro se Decreta Rotæ,Clerus verò Poloniæ Decretum S.Congregationis: præsertim cùm Decisiones Rotæ sint maximæ Authoritatis,quæ plerumq; ostendunt Bonum Ius partis. *Vt apud Gregorium XV. Decis: 524. n.4. & Decis: 34. n.3. in nouiss: apud Rubeum.* Optimè futuris temporibus prouisum est, quod superius

rius Decretum S. Congregationis, quo firmiùs subsi- p. 15.
stat, & exactiùs obseruetur, Apostolicæ Confirmationis 35.
Patrocinio confirmatum est; cum Clausulis amplissimis, cum Decreto irritanti, Non obstãtibus contrarijs quibuscunq;, quæ omnia Papa voluit haberi pro sufficienter expressis. Quę Clausulæ ita perficiũt Actũ, vt ampliùs in eo nihil possit desiderari. *Rota in vna Vercellen. Membri. 26. Maij, 1634. corã Panzirolo. n. 20. vsq; ad finẽ.*

Quæ cùm ita se habeant, vanus timor erat aliquo- 36.
rum, qui in tam iusta Causa Plebani Loci Golambie, verebantur sententiæ Rotali contrauenire, ob Censuras, & alias pœnas Ecclesiasticas, in illius Processu comminatas, &c. Non potest enim inferior impedire Potestatem Superioris. *Sbrozz: De Vicar: Episc: lib: 2. quæst: 39.* Cùm Potestas Inferioris dependeat ab ipsomet Papa, nec inferior possit se ingerere, vbi Papa manus apposuit. *Rota in vna Valentina Canonicatus. coram Coccino. Decis: 225. n. 12. in nouiss: apud Rubeum.* Cùm ergo Decre- 37.
tum S. Congregationis in Causa nostra Decimarum, Authoritate Summi Pontificis Innocentij X. sit confirmatum, non potest per inferiores mutari, aut infirmari. Quod enim Papa confirmat, nemo infirmat, *vt inquit Baldus. in L. Rescripta. n. 4. C. De Prec: Imper: offeren: Dec: in cap: Cùm accessissent. n. 44. De Constitut. Rota in vna Meleuitana Commendæ. De Mazara. die Veneris 23. Iunij, 1634. coram Merlino.*

Dubitatio III.

CVm S. Congregatio Eminentiss: Cardinalium Con- 38.
cilij Tridentini Interpretum, censuerit, à Patribus

Soc:

p.36. Soc: & alijs Regularibus ſoluendas eſſe Parochis, & alijs Beneficiatis Regni Poloniæ Decimas, quæ ſoluebantur à Laicis, priuſquàm Bona in ipſorum Patrum, & aliorum Regularium proprietatem fuerunt translata, non modicæ difficultatis oriri poſſet quæſtio, ſi conſtaret per Authentica ſcripturæ Inſtrumenta, aliquos Laicos non manipularem Decimam ſoluere, ſed exiguâ pecuniâ compenſare ſolitos eſſe. An etiam Patres Soc: & alij Regulares, eodem modo poſſent negare Decimam manipularem, & ſimili pecuniâ exoluere, allegando hunc eſſe ſenſum Decreti S. Congregationis, & Confirmationis Apoſtolicæ.

Reſponſio.

39. VErba Reſcripti, plerumque quando loquuntur de Facto, intelliguntur etiam de Iure, & iſta Concluſio procedit, quando Verba Generalia ſunt, & eadem ratio ſit, ſiue aliquid fiat de Facto, ſiue de Iure. *Decius in cap: Sciſcitatus. n.* 11. *De Reſcriptis.* Et Papæ Intentio talis præſumitur, qualis de Iure debet eſſe. *Rota Deciſ: 96. n. 5. apud Farinacium.* quæ maximè colligitur ex Clauſulis, & Derogationibus ampliſsimis. *Rota Deciſ: 464. n.* 12. *&* 14. *coram Remboldo, apud Rubeum in*
40. *nouiſſ:* Vnde cum Papa in ſuo Breui ſuppleuerit omnes & ſingulos Iuris & Facti defectus, & S. Congregationis eorundem Cardinalium voluerit ſemper ſaluam eſſe authoritatem, ſententiâ ipſius Congregationis, idem erit ſoluere de Facto Decimas, & ad eaſdem ſoluendas obligatum eſſe de Iure. Quod manifeſtè conſtat ex alia ſua Reſponſione Illuſtriſsimo D. Epiſcopo

Cracouien.

Cracouieñ. piæ mem: Iacobo Zádzik, non adeò pridem p.17.
de Priuilegijs Patrum Soc: & aliorum Regularium S.
Congregationem consulenti: Cui his verbis rescripsit.

S. Congregatio Eminentiss: Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum sæpiùs censuit, Bona & prædia huiusmodi Decimarum solutioni obnoxia, ad Regulares transire cum onere suo; ac proindè Regulares teneri illas soluere Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, quemadmodum tenebantur Laici priùs, quàm Bona ipsa in ipsorum proprietatem transtulerunt. 41.

Ioan: Bapt: Pamphilius.
Franciscus Paulucius S.C.C. Secretar.

42. Quo stante, cùm Sum̃us Pontifex S. Congregationis Authoritatẽ saluam esse voluerit, & vigore ipsius Breuis supradicti, literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus & singulis, quos illæ cõcernunt, inuiolabiliter, & inconcussè obseruari voluerit: sicq; per quoscunq; Iudices Ordinarios & Delegatos, etiã Causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere præceperit, & statuerit irritũ esse, ac inane, si secus super his, à quoquã, quauis Authoritate, scienter, vel ignoranter, cõtigerit attentari. Quæ Clausulæ in dicto Breui, cum Decreto Irritanti positæ, ita claudũt os Aduersæ parti, vt nihil contra Decretũ S. Congregationis, sic à Papa confirmatũ, opponi possit. *Gonzalez super Regul:*8. *Cancellariæ, nunc* 9.*glos:*66.*n.*52.*Rota. Decis:*103.*n.*1. *in nouiss: apud Rubeum. &c.* Et ita PP. Soc: & alij Regulares soluent Decimas, non prout aliqui de facto faciunt cum iniuria Cleri secularis, sed prout de Iure ad soluendum sunt obligati.

43. CVm Breue vult firmas remanere Transactiones desuper factas, Quæritur an illæ Transactiones Antiquæ ratione Decimarũ, si quæ inueniuntur factæ inter Parochos & seculares possessores, possint iuuare Patres Soc: ita vt moderni Beneficiati, illis exiguis pecunijs, vigore alicuius Cõpositionis, debeant esse cõtenti.

Responsio.

44. V*Bi est eadem ratio, eadẽ & Iuris debet esse Dispositio.* Vnde cum neq; Congregatio, neq; Papa declarauerit huiusmodi Transactiones, pro Interpretatione recurrendũ est ad Ius Cõmune, quia Papæ Intentio talis esse præsumitur, qualis debet esse de Iure. *Felin. in cap: Causã quæ. n. 5. De Rescriptis. Rota Decis: 96. n. 4. apud Farinaciũ.*

45. In Iure Cõmuni legimus Decretũ Pontificium, quod est tale Alexandri III. *Statuimus, vt si super Decimis inter vos, & aliquam Personam Ecclesiasticã, de assensu Episcopi, vel Archiepiscopi compositio facta fuerit, rata, & inconcussa persistat.* c. 2. De Transactionibus. Vltra quod huiusmodi Transactiones super Decimis fieri nõ possũt, absq; Authoritate Papæ. Et sine ea factæ, nõ egrediuntur suum Authorem. *c. De cætero. c. veniens. De Transactionibus. Rota Decis: 585. n. 1. par: 1. Diuers:* Et plerumq; huiusmodi Conuentiones, habent in se Clausulam, *sine præiudicio Iurium,* quæ facit, vt contractus non restringatur, nisi ad vitã Parochi, aut alterius Beneficiati, qui suo Contractu non possunt præiudicare successoribus. *Seraph: Decis: 1278. n. 3. Rota Decis: 30. n. 8. apud Farinaciũ.*

Quæ cùm ita ſe habeant, erubeſcent profectò Patres Soc: aut alij Regulares, producere aliquas præteritas temporaneas concordias, quandoquidem illam ſuam tam ſolennem, *Iuramento proprio perpetuæ in futurum Obſeruationis aſſecuratam*, & per Nuncium cum facultate Legati de Latere Authoritate Apoſtolicâ, *vt ille aſſeruit*, confirmatam, impugnare, & per Decreta Rotæ irritare, & inualidare præſumpſerunt. Cuius tenor qui ſequitur eſt talis, deſumptus ex Authentico publici Notarij Inſtrumento. *p.19.* 46.

Concordia ſolennis Patrum Soc: Ieſu, cum Plebano Loci Gołambie: Iuramento confirmata, & tamen ab ijſdem Romæ impugnata.

In Nomine Domini, Amen.

PRæſenti publico Inſtrumento cunctis vbiq; pateat euidenter, & ſit notum. Qualiter à ſalutifera Natiuitate eiuſdem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, 1632. Indictione Romana 15. Die verò Mercurij, 20. Menſis Octob. Pontificatus autẽ S^mi. in Chriſto Patris, & D. N. D. Vrbani Diuinâ Prouidentiâ Papæ VIII. Anno X. 47.

Coram Illuſtriſſ: & Reuerendiſſ: Domino Comite Honorato Vicecomite, Dei & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiâ Archiepiſcopo Lariſſeno, & in hoc ampliſsimo Regno, Magnoq; Lithuaniæ Ducatu, *cum facultatibus Legati de Latere*, Nuncio Apoſtolico, pro Tribunali ſedente, ſuper quadam ſede lignea, ornata, in infradicendo loco poſita, quam ſedem & locum, pro ſuis congruo, & competenti loco, & Tribunali, ad hunc Actum tantum validè peragendum, elegit & deputauit. 48.

p.20. In meiq; Notarij publici infraſcripti, & teſtium infraſcriptorum, ad hæc ſpecialiter & expreſsè vocatorum, & rogatorum præſentia, præſentes & perſonaliter conſtituti infraſcripti. *Adm. R. Pater Præmislaus Rudnicki, Collegij Soc: Ieſu Craconień. Rector, cum conſenſu, voluntate, & Authoritate Adm. Reuerendi Patris Gaſparis Druzbicki Societ: Ieſu Prouinciæ Polonæ Prouincialis, ac etiam cum Promiſſione de ratificari faciendo omnia, in præſenti concordia ſiue Tranſactione quomodolibet contenta, per Reuerendos Patres Collegiorum Cracouienſis & Lublinenſis dictæ Societatis, quatenus opus ſit, &c. & non aliàs, &c.* Ex vna. *Et Rńdus. Dominus Simon Grzybowſki Parochus in Gołambie partibus ex altera.* Eidemq; Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Nuncio Apoſtolico, ſic vt ſupra pro Tribunali ſedenti expoſuerunt, & inſinuarunt Cauſam & Cauſas, ad pręſens Tribunal D. ſuæ Illuſtriſsimæ, in gradu Appellationis, &c. deuolutas.

49.

Hic Breuitatis cauſa omittuntur ea, de quibus fuit Controuerſia.

Sequitur Cõcordia pro futuris perpetuis temporibus.

50. QVoniam non minoris eſt prudentiæ, & ſagacitatis, futuris prouidere controuerſijs, quàm præteritas extinxiſſe diſcordias, ideò eadem Concordiâ præſenti mediante, volentes partes ſupradictæ, quam nunc amplexi ſunt, perpetuò obſeruare Concordiam. Ideò ratione ſupradictarum Decimarum manipularium, omnis grani & ſeminis, poſt Cmetones dictarum quatuor villarum ſupramemoratarum, videlicet Zerzyn, Strzyzewice, Pogonow, Parachwina Wola, & prædij

in

in Borisow, licitum erit, vti nunc & in futurum permittitur libera Decimatio manipularis dicto Rndo. Parocho, & eius successoribus in perpetuum; Ex Prædio verò Zerzyn, contentus erit medietate Decimarum per omnes Agros, reliquam verò medietatem dictæ Decimæ manipularis, dictis R. Rectori, eiusq; Collegio remisit, prout remittit dictus R. Parochus, *citra tamen præiudicium Iurium quorumcunq; vtriusq; partis & Successorum.* De Prædio autem Boriszow liberam & integram Decimationem manipularem omnis grani & seminis dictus R. P. Rector nomine sui Collegij cum consensu vt supra dicti R. Patris Prouincialis, dicto R. D. Parocho, eiusq; successoribus in perpetuum concesserunt, permiserunt, & extradere, ac extradi facere promiserunt liberè, &c.

p.21.

51.

Quæ omnia & singula in præsenti Instrumento contenta & expressa, dictæ ambæ partes, quibus supra respectiuè nominibus, adinuicem & vicissim promiserunt semper, & perpetuò seruare, adimplere, & contra non facere, dicere, vel venire, per se vel alios, directè, vel indirectè, tacitè, vel expresè, quouis sub prætextu, colore, Iure, titulo, siue causa, etiam de nouo superueniente, cogitatâ, vel excogitatâ, & in corpore Iuris clausa, quantumuis legitima & rationabili, etiam ex seipsa de Iure merente Restitutionem in Integrum; Sed hæc omnia semper inuiolabiliter, & ad vnguem attendere, & rata, grata, valida, & firma habere, & in perpetuum tenere, aliàs vltra Præmissorum obseruationem, ad quam semper cogi & compelli solent, possint

52.

53.

p.22. teneri adinuicem, & vicissim voluerunt ad omnia damna &c. De quibus &c. Pro quibus &c. prædictæ partes, nominibus quibus supra, adinuicem sese, & successores respectiuè obligârũt, in ampliori Cameræ Apostolicæ, seu quauis alia validiori forma. Renũciantes &c. Iuramẽtũ. Consentientes &c. cum Clausulis &c. *Et sic tactis pectoribus more Sacerdotũ, & respectiuè scripturis iurarũt.*

54. Quibus sic gestis & factis, pro maiori & validiori præsentis Concordiæ, siue Transactionis, & in illa contentorum corroboratione, & perpetua validitate, eædem partes, ab eodem Illustrisśimo Dño. Nuncio, sic vt supra pro Tribunali sedente, eandem Concordiam, cum omnibus in ea contentis, Apostolicâ Authoritate recipi, ingrossari, registrari, & admitti, illamq;, & in illa contenta, approbari, confirmari, inuiolabiliter ac perpetuò, ac omnes & quoscunq; defectus, si qui interuenerint suppleri, Decreto mediante, non solum præmisso, sed etiam omni alio meliori modo, &c. petierunt, & insteterunt.

55. Successiuè, & incontinenti, idem Illustriss: & Reuerendiss: D. Nuncius Apostolicus, prædictis vt supra gestis, optimè perpensis, & maturè consideratis, attendens prædicta potiùs in vtilitatem vtriusq; partis cedere, quàm damnum & præiudicium, alijsq; de causis &c. Suprascriptam Concordiam, sic vt supra, tanquam ritè, & legitimè initam, & contractam, cum omnibus in ea contentis, Authoritate Apostolicâ, quâ hac in parte fungitur, recepit, & admisit: & per me Notarium & Cancellarium Curiæ præsentis, in Actis registrari, &

ingrossari

ingrossari mandauit, illamq; eadem Authoritate confir- p.23.
mauit, roburq; validitatis adiecit, supplendo omnes
& quoscunque, si qui interuenerint, tam Iuris quàm
Facti defectus, omni modo meliori, &c. Super qui- 56.
bus omnibus & singulis præmissis, petitum fuit à me
Notario publico infrascripto, vnum, vel plura, Publi-
cum, seu publica, exinde confici, & extradi, toties,
quoties opus fuerit, Instrumentum, & Instrumenta.

Actum Varsouiæ Diœcesis Posnaniensis in Palatio 57.
eiusdem Illustriss. & Reuerend. Dñi Nuncij apud Mo-
nasterium Rñdorum PP. Bernardinorum S. Francisci
de Obseruantia, præsentibus ibidem, & audientibus.
Rñdo D. Thoma Marchione de Recinetto, & Illustr.
D. Paulo Hieronymo de Rubeis Mediolanensi, eiusdē
Illustriss: D. Nuncij Familiaribus, Testibus, ad præ-
missa omnia & singula vocatis, habitis, specialiter atq;
requisitis.

Hanc Concordiam expresse hic ponendam duxi, 58.
non alio fine, quàm vt omnes intelligant, ij præsertim,
qui Decimas manipulares Transactionibus eludere vo-
lent; An suæ temporaneæ Cōpositiones, aliquid in isto
casu valeant, quandoquidem ista tam solennis, quâ so-
lenniorē nemo certè producet, ab ipsis Authorib9 fuit
impugnata, & Decretis Rotæ nulla, & inualida pronū-
ciata: prout habetur in mea Decima defensa. *n.* 151.
Et talis in posterum iudicaretur, nisi Decreto S. Con-
gregationis, & Authoritate Apostolicâ esset in inte-
grum restituta, saluis ijs, quorum Ius Integrum, *per
Clausulam*, successoribus Parochis est reseruatum.

CONCLV-

p.24.

CONCLVSIO.

59. CVm ita S. Congregationis Eminentiss: Concilij Tridentini Interpretum Beneficio, & authoritate Apostolicâ, Causam Decimarum, contra Patres Soc: Iesu lucratam habeamꝰ, ita vt Executioni ipsius nihil obstare possit; vnusquisq; qui se læsum, aut spoliatum in Decimis sentit, recurrat ad suum Illustriss: & Reuerendiss: D. Lociordinarium, qui iuxta mentem S. Congregationis, & ipsius Pontificis Innocentij X. quē Deus incolumem diu conseruet, cum satisfactione vestra, Causas, & lites Decimarum, Iudicio suo terminabit.

60. Quodsi alicui Illustriss: & Reuerendiss: D. Lociordinario, ex rationibus à tenui meo Intellectu non penetratis, visum fuerit, Causas vestras, pro finali earū expeditione, ad Illustriss: & Reuerendiss: D. Nuncium Apostolicum remittere: Neq; ibi de felici Causæ vestræ successu dubitare potestis; Illustriss: enim D. Nuncius, pro innata sibi erga vos humanitate, efficacis defensionis præsidio, iuxta Mandatum Apostolicum, vobis assistet, neq; vos permittet à quoquam quauis Authoritate quomodolibet molestari.

61. *Quin imo in Vestra Causa Decimarum, Contradictores quoslibet, & rebelles, & præmisso Breui Apostolico non parentes, per Censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna Iuris & Facti Remedia, appellatione postpositâ, compescet: inuocato etiam ad hoc si opus fuerit Auxilio Brachij secularis. Non obstantibus Contrarijs Quibuscunq; &c.* Vt latius in supradicto Breui Apostolico continetur.

Et sic, cum his remedijs, concludere possumus.
Tandem Bona Causa Cleri Secularis triumphat.

A. M. D. G. Beatæq; V. M. Honorem.

Et hæc (saluo meliori Iudicio)
Bono publico dedicauit.

IOANNES MARKIEWICZ I. V. D.
Canonicꝰ Posnanień. Præpos. S. Iacobi,
S. Regiæ Maiestatis Secretarius. *m.pp.*

ERRATA SIC CORRIGE.

IN *præfatione in* 2. *versu deest Illres.* *Pag.* 1. *vers. ultimo*, *scriptum* ad quæ, *corrige Ad quas.* *Pag.* 6. *vers. ultimo scriptum* quidem, *corrige quidam. pag.* 9. *vers.* 1. *corrige.* in. *pag.* 30. *vers.* 6. in conventibus. *corrige in Proventibus. pag.* 47. *vers.* 4. commorantur. *corrige commorantibus. pag.* 51. *vers.* 19. proposita. *corrige postposità. pag.* 53. *vers. penult.* solo. *corrige sola. pag.* 72. *vers.* 7. inureret. *corrige inscriberet. pag.* 73. *vers.* 5. Posnaniensis. *corrige Posnaniensi. pag.* 77. *vers.* 16. Non est turpe mutare consilium. *corrige Non est turpe cum re mutare consilium. pag.* 78. *vers.* 3. privati. *corrige privato.*

AD LECTOREM.

PRioris Editionis Exemplaria pauca autor imprimi fecerat in gratiam Privatorum. Postea instantia plurimorum effecit, ut iterum imprimerentur. Si observaveris aliquam differentiam, scias factum absente autore. Interim quisquis es, Boni consule, & æquitatem defende.